



# **Universitätsbibliothek Paderborn**

**Codex traditionvm Corbeiensivm**

**Falcke, Johann Friedrich**

**Lipsiae ; Gvelpherbyti, 1752**

§. 162. De traditione bonorum in villa Snevidi in pago Logne.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-36114**

Ab anno  
826 usque  
853 im-  
perante  
Hludo-  
tuico et

## §. 162.

Tradidit adi pro remedio animae patris sui usque et fratum suorum tadi ac frederici in *Sneuidi* (C) quidquid ibi habuit testes helmold uuorid asic et alii tref.

## §. 163.

Tradidit *gheroldus* (D) quidquid hereditatis habuit in *gudul-*  
*ma*

nico, quod Edmundus Gibson Oxonii 1692, 4, euulgauit, p. 55. ad a. 741. hæc ita leguntur. Quamuis enim Gobelinus *Edelhardum* regem Britannie cum *Edelhardo* Westfalarum rege confundisse videatur, poruit tamen uno tempore alter *Edelhardus* esse in Anglia, atque alter *Edelhardus* seu *Adelhardus* dux in Saxonie. Et sane si tempora computare volumus, *Edelhardus*, Saxonum dux, pater *Theodorici* fuisse videtur illius, quem supra fatorem *Widekindi* ac *Brunonis* ducum exitissime asseruimus.

De villa  
Hacules-  
thorpe.

(B) *Haculesthorpæ* villa in nostro Registro inuenitur posita in pago *Auga*, quam in vtria que Visurgis ripa circa Corbeiam nostram fuisse obuiam, iam supra diximus. Hodie eadem villa desolata est, probabilissime autem olim reperta est in loco dicto *die Hackelbreite*, vix iter vnius horæ qui discretus cernitur a castro Brunonisburgo. Beuonem ergo habemus pro fratre abbatis Warini et nepote ducis Angariorum Brunonis. Confer infra §. 400.

De mar-  
ca *Sneuidi*.

(C) De villa et marca *Sneuidi* vide supra §. 118. not. (x)

De Ge-  
roldo co-  
mite.

(D) *Gheroldum* supra §. 95. habuimus pro filio *Aliburga*, *Aliburg*, uti demonstrauimus §. 104, que vxor fuit *Walberti*, nepotis ex *Widekindo* M. Ergo *Geroldus* habebut pro filio *Walberti*, fortassis autem duntaxat *Walberti* priuignus erat, quia in tota genealogia *Widekindea* nomen *Geroldi* alias non occurrit. Si conjecturis aliquid dandum est, velim hunc *Geroldum*, quia in Annal. Corbeiens. MSCls nobilis *Francus* appellatur, habere pro filio *Geroldi* ducis Sueviae, qui cum *Widekindo* M. gesit atrox bellum, in quo *Widekindus* periit, teste *Krantzio* in *Saxonia* Lib. II. c. 24. quod accidit anno 807, testante Chronicō Rittageshusino Tom. II. Leibnitii p. 72. Quamuis enim de hoc *Geroldo* nullos habeamus antiquiores testes præter excitatos, ex aliis tamen constat documentis, illum *Geroldum* tempore Caroli Magni claruisse. In testamento Caroli Magni, quod exhibet Eginhardus in eius *Vita* p. 142. seq. quodque Carolus annis tribus, antequam deceperit, fecit, inter comites, coram quibus eandem ordinationem Rex constituit, reperitur *Gerholtus*. Ex quo momento firmiter colligimus, magnam eundem gratiam atque auctoritatem apud Carolum M. esse consecutum. Huius *Geroldi* porro meminit Eginhardus in Annal. Rer. Franc. p. 166. referens: *Hludowico imperatori anno 815 allatum esse, quosdam de primoribus Romanorum ad interficiendum Papam Leonem in ipsa urbe Roma consiprassæ, casarem igitur Bernhartum regem Italiae nepotem suum ad cognoscendum, quod nunciatum, Romam missæ, quem vero eo ventum ægritudine decubuisse, res tamen compertas per GERHOLTVM COMITEM ad hoc legatum datum imperatori nunciasse*. Post haec idem Eginhardus I. c. p. 174. anno 826 *Gerholtum nominat comitem et Pannonici limitis custodem in Carantanorum prouincia*, ex quo videre possumus, *Gerholtum* istum eodem anno habuisse in Austria comitatum suum, atque ibidem imperatoris negotia procurauisse. Post annum 826 in Annalibus, quantum scimus, nulla ciuidem *Gerholt* mentio amplius iniicitur. Eius vero pater videtur fuisse *Geroldus Bajooriae comes*, qui, Poëta Saxone teste, Tom. I. Leibn. p. 149. anno 799, cum Christi populum defendere ac bello fœnis Hunis obfistere vellet, finiuit vitam fragilem. Que ipsa etiam narrat accurate auctor Chronicus Quedlinburg. Tom. II. Leibnitii p. 276, qui illum appellat *Gheraldum et clarum Bajoorie marchionem*. Quod si altius ascendere vellemus, possemus perhibere, huius *Geroldi* marchionis patrem fuisse *Geroldum illustrem palatinum Pipini ab Herstallo*, cuius meminit Vita S. Swiberti Tom. II. Leibn. p. 236. seq. Sed cum proferimus hæc tantum tanquam conjecturas, Vitaque Swiberti sine dubio vlo scriptum sit suppofitum, uti ipsi doctissimi patres Societatis Iesu Henschenius ac Papebrochius agnouere, hæc vera esse non contendimus, falsa autem esse præfacte affirmare non audemus. Illud vero tacere nolumus, Albericum in Chronicō suo, quod tam in Leib-